

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0372

0370

0376

0366

0381

0361

0421

0321

0471

0271

0871

Ende

Anfang

359

### De Sicelech, oppido David, et caetera.

Die XXIX. cum surgente aurora surreximus et oneratis camelis et stratis asinis profecti sumus per terram planam et sterilem et multas villas vidimus et antiquarum civitatum ruinas. In meridie venimus in regionem collibus et monticulis tumorosam, inter quos mons satis altus super alios elevatur ad continendum castellum et fortalitium optime dispositus, unde nobiles nostri dicebant, si essent, inquiunt, homines bellicosi in hac terra, nequaquam montem hunc sine castro esse sinerent. Cum autem venissemus ad montis radices et sursum aspiceremus, videbatur nobis, quod in clivo montis lapides de ruinis murorum jacerent. Ego ergo cum quibusdam aliis, asinis inferius dimissis, montem festine ascendimus usque in ejus cacumen, quod quidem cacumen spatiosum est, et reliquias ac ruinas fortium murorum ibi invenimus, non castri, sed civitatis antiquae, siquidem civitas Sicelech quondam ibi stetit, quae Philistinorum erat, quam tradidit Achis, rex Geth, David, dum esset in fuga a facie Saul, ut patet 1. Reg. 27., et ibidem cap. 30. plura dicuntur de Sicelech. De hac civitate dicit Jeronymus de distantiis locorum, quod Sicelech est in Daroma, id est ad australem plagam sortis Judae et Simeonis. Quod est locus ille. In illo ergo monte stetimus et longe lateque per Palaestinam respeximus contra mare magnum et contra montana Hebron, contra montem Ephraim et contra desertum Aegypti, ad quatuor plagas coeli. Vidimus etiam Gazam civitatem, quamvis adhuc longe esset a nobis. His compertis a Sicelech recessimus contra Gazam descendentes, a longe autem vidimus exercitum camelorum et asinorum contra nos properantem et exterriti sumus existimantes, eos esse Arabes vel Madianitas raptore, unde ductores arcus suos parabant et nobiles peregrini gladios aptabant. Sed cum convenissemus, pertransierunt cum omni tranquillitate nos, nec digitum contra nos moverunt. Erant enim Aegyptii et volebant ire in Jerusalem ad adorandum in templo juxta morem Saracenorum.

Porro circa horam vespertinam prope Gazam vel Gazaram venimus, sed urbem ingredi non praesumsimus ita manifeste,

